

BIBLIOTHECA

MANUALIS

ECCLESIAE PATRUM

COMPLECTENS

Illorum vitæ, & gestorum breviarium: Operum Synopsim: Illustriora  
testimonia Dogmata, Mores, Disciplinam spectantia, & selecta  
Vitæ spiritualis documenta.

OPUS

GALLICE EDITUM

A D. PETRO JOSEPHO TRICALETIO

PRESBYTERO, ET DOCTORE IN UNIVERSITATE VESONTIENSI,

LATIO DONATUM

NOTISQUE BREVIORIBUS ILLUSTRATUM

AB EUDOXIO PHILENIO S.T. PROFESSORE.

TOMUS PRIMUS.



BASSANI, MDCCLXXXIII.

SED PROSTANT  
VENETIIS APUD REMONDINI.

*Superiorum Permissu, ac Privilegio.*



# LATINUS INTERPRES BENEVOLO LECTORI

SAGRÆ ERUDITIONIS STUDIO.



**B**IBLIOTHECA Patrum Ecclesiæ, quam Latio donandam operæ pretium duxi, paucis abhinc annis Gallica lingua Lutetiæ Parisiorum typis prodiit opera, & studio Petri Josephi Tricaletii Presbyteri, & Doctoris in Universitate Vefontiensis, Præsidis Seminarii, ut vocant, Parisiensis apud S. Nicolaum de Cardoneto nuncupati. Vir hic clarissimus sacra studia semel amplexatus, illis indefesso labore incubuit, a quibus eum divellere nequiverunt plurimæ gravesque ægritudines, quibus postremis præsertim vitæ suæ annis fuit acerbissime divexatus; pietate etiam, religione, cæterisque christianis virtutibus mirum in modum claruit, ut ex ejus Vitæ Breviario constabit, quod primo hujus Bibliothecæ Tomo præfixum reperies, & in Gallica editione postremo collocatum Volumine legitur. Hic utique pius doctusque Vir, qui nomen suum in fronte Operis modestiæ causa inscribi renuit, primum Volumen Parisiensi Typographo mittens illum commonefecit, ut si forte Eruditorum, & Sapientum judicio publica luce dignaretur,

fior effecta sit, ut utramque Editionem comparantibus manifeste patebit. In novem Volumina partietur Editio nostra, quorum postremum ea omnino complectetur spiritualis vitæ ascetica documenta, ab iis plane distincta ac diversa, quæ in singulis Patrum Capitibus Articulo quarto leguntur, quæque Auctor, octavo addito Volumine, collegit, ac præterea totius Operis generalem & copiosum Indicem. Quarto. Errores, qui in Gallica Editione irreperant, emendavimus. Quinto. Adnotationes nonnullas breviores quidem, ne Volumina nimium excrescerent, sed utiles, & aliqua prætermissa ab Auctore suppletentes, identidem adjiciemus, ac signatas Arabicis numeris dabimus. Denique Auctoris Vitam postremo Gallico Volumine adjectam statim in primo collocavimus. Singula Volumina suo Indiculo non carebunt, in totius Operis calce, scilicet Tomo IX. ut diximus, generali Indice reservato. Hic omnium Patrum, quos hæc Bibliotheca complectitur, catalogum exhibemus ordine non exacte ad Chronologiam, sed potius ad Voluminum partitionem accommodato. Sunt autem

- |         |   |                             |
|---------|---|-----------------------------|
| Tom. I. | } | 1. S. Ignatius Martyr.      |
|         |   | 2. S. Justinus Martyr.      |
|         |   | 3. S. Irenæus.              |
|         |   | 4. S. Clemens Alexandrinus. |
|         |   | 5. Tertullianus.            |
|         |   | 6. Origenes.                |
|         |   | 7. S. Cyprianus Martyr.     |

- |            |                                   |
|------------|-----------------------------------|
|            | 8. Eusebius Cæsariensis.          |
|            | 9. S. Athanasius.                 |
|            | 10. S. Hilarius Pictaviensis.     |
|            | 11. S. Basilius.                  |
| Tom. II.   | 12. S. Cyrillus Hierosolymitanus. |
|            | 13. S. Gregorius Nazianzenus.     |
|            | 14. S. Ephrem.                    |
|            | 15. S. Gregorius Nyffenus.        |
|            | 16. S. Ambrosius.                 |
| Tom. III.  | 17. S. Epiphanius.                |
|            | 18. S. Hieronymus.                |
|            | 19. S. Paulinus.                  |
| Tom. IV.   | 20. S. Joannes Chrysoſtomus.      |
|            | 21. S. Cyrillus Alexandrinus.     |
| Tom. V.    | 22. S. Auguſtinus.                |
|            | 23. S. Proſper.                   |
| Tom. VI.   | 24. Theodoretus.                  |
|            | 25. S. Leo Magnus.                |
|            | 26. S. Cæsarius Arelatensis.      |
| Tom. VII.  | 27. S. Gregorius Magnus.          |
|            | 28. S. Joannes Damascenus.        |
| Tom. VIII. | 29. S. Anſelmus.                  |
|            | 30. S. Bernardus.                 |

Tu interim, Amice Lector, hunc qualemcumque laborem nostrum æqui bonique consule, eoque frueri, & vale.

I  
BIBLIOTHECA

MANUALIS


PATRUM ECCLESIAE.

---

CAPUT PRIMUM.

S. I G N A T I U S

*Apostolorum discipulus, Episcopus Antiochenus, & Martyr.*



ARTICULUS PRIMUS.

*Vite S. Ignatii Breviarium.*

**S**IGNATIUS cognomento Theophorus, idest Deifer, qui scilicet Deum gerit, natione Syrus fuit. Antiquiores Patres (a) asserunt Christum in carne minime vidisse; sed Apostolorum, ac praecipue S. Petri, & Joannis Evangelistae fuisse discipulum. Ab istis itaque manus impositione Antiochenus Episcopus consecratus est, eamque Ecclesiam post Evodium, qui S. Petro successerat, regendam suscepit (b). Erant tunc Antiochiae ducenta, & amplius hominum millia, in quibus tamen regendis non minus laboravit, quam in persecutione adversus suam Ecclesiam a Domitiano Imperatore excitata invicte sustinenda (c), quippe „qui in „star boni gubernatoris gubernaculo precum, ac jejunii, & assiduitate docendi, tempestati contrariae resistit, ac salvum incolu- „ memque gregem suum servavit“.

Tricalet. Tom. I. A Sedata

S. I G N A T I U S.  
Episcopus ordinatus.

---

(a) S. Jo. Chrysost. (b) Circa annum 69. J. C.  
(c) Acta Mart. apud Cotel. n. 1. p. 157.

## CAPUT SEXTUM.

## ORIGENES

*Presbyter, & Confessor.*

## ARTICULUS PRIMUS.

*Vitæ Origenis Breviarium.*

**O**RIGENES, qui & Adamantius (1), immo & aliquoties Calcenteri (2) appellationem consecutus, genere Ægyptius Alexandriae natus est anno Christi, ut videtur, 185. annum jam sextum imperante Commodo. Illum domestica institutione formandum suscepit Pater ejus Leonidas, animumque ejus Sacrarum Scripturarum studiis præsertim imbuit. Adolescens Origenes brevi tempore profecit, tantamque junxit cum admirabili ingenii ubertate & doctrina pietatem, virtutem, modestiam, ut dormientis cubiculum pueri sæpe ingressus Pater nudatum Filii pectus, tamquam Spiritus Sancti domicilium, exosculatus fuerit, gratias Deo agens, qui se tam felici prole auxisset, quod & D. Hieronymum scribere compulit, Origenem *se ab infantia egregium virum exhibuisse*. Clementis Alexandrini discipulus fuit, cui nonnisi decimum octavum agens annum successit in Cathedra Catechistica, ut ejus loco Theologiam doceret, & Sacras Scripturas interpretaretur. Jam præcedente anno Pater ejus Leonidas Martyrii coronam adeptus fuerat, sæviente Severi anno 202. persecutione, tantaque tum Martyrii cupido Origenem accenderat, ut Mater filii impetum retardare fletibus non valens, arte & occultatis ipsius vestimentis invitum & dolentem domi retinuerit. Frequens confluit ad Origenis Scholam Auditorum turba tum Gentilium, tum Christianorum, istos in fide confirmabat, illos vero ab Idolorum cultu revocatos Christo adipiscebatur. Plures ex ejus Schola prodiere Martyres, quæ ideo potius Martyrum tyrocinium, quam discipulorum Magisterium dici poterat. Ventitabant etiam ad eum puellæ fidei Christianæ, & studiorum gratia; ea propter, ut omnem a se amoveret suspicionem, & aliorum offensionem tolleret, corpus suum eviravit, Christi verbis de Eunuchis, qui

ORIGENES.

Infantia &amp; educatio Origenis.

Ejus animi ornamenta.

Catechisticam Cathedram moderatur.

Martyrii desiderium.

Impudens factus.

(1) Hoc nomen, quod adamantinum significat, vel infrangibile, datum Origeni fuit, quia summo & acri studio in Sanctarum Scripturarum labore sudavit, ut scribit S. Hier. Ep. 33. E. V.

(2) Vox illa quasi *enei pectoris* significat.